

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (64)

4.15.9.2. De novis aedificiis oeconomiae

Postquam Sorores Benedictinarum missionariarum, quae propriam oeconomiam exercuerant, anno 1904^o e monasterio suo Ottiliensi Tutzingam transmigraverunt,¹ constitutum est, ut instituta oeconomica coniungerentur atque in angulo spetentrionali-orientali areae monasterialis locum primum centralemque haberent, ubi horreum satis novum, quo Sorores usae sunt, iam



Sororum horreum Sanctae Notburgae.


situm erat.² Hōc inceptum praeter alia etiam eā de causā erat utilissimum, cum usque ad illud temporis momentum pecudes in quinque stabulis variis locis areae sitis collocatae essent, id quod laboribus rationabiliter excelandis erat contrarium, et alterā ex parte stabula horreaque iam exstantia, quae de praediis emptis suscepta erant, interea iam satis ruinosa essent.

Itaque monasterialis oeconomus P. Paulus Sauter anno 1904^o statim delineationes ad oeconomiae aedifica nova spectantes exarare coepit, quae bene

1 Cfr Vol. 1, cap. 2.3.2.1., Vol. 2, cap. 1.

2 De aedificiis oeconomiae cfr Alfred KLEIN (1923), pp. 38 sq.; pp. 52 sq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 293 sq. - In typoscripto, c.t. «Geschichte und Entwicklung der Ökonomie von St. Ottilien», pp. 5 sq. (ASO, A.12.2), etiam breviter de hōc spatio temporis refertur. Ut ex textū ipso apparet, idem anno 1993^o compositus est. Auctor autem non indicatur.

praemeditata erant.³ Primo in parte meridionali prīstini Sororum horrei Sanctae Notburgae, in quo equi atque boves steterunt, atque modo ipsi parallelo stabulum vaccharum aedificatum est, supra quod area operandi sita



Delineatio novi aedificii oeconomiae anni 1904ⁱ.

erat.⁴ Utrumque stabulum in parte occidentali rectangulariter cum alio novo aedificio coniungebatur, in quo stabulum suillum atque oeci frumenti asservandi inveniebantur. Hunc in modum illa aedificia sub eodem tecto coniuncta formam soleae ferreae finxerunt. Stabula autem ipsa modo, qui illo tempore



Aspectus oeconomiae cavaedii post annum 1904^{um} praebitus.

erat satis modernus atque considerate constructus, instruebantur canalibus defluvii, fistulis aquariis ad alveos ducentibus, pabulo in orbitis allato, stabu-

3 Delineationes novorum aedificiorum mense Aprili a. 1904ⁱ officialiter traditae sunt. *Cfr* Plan Ökonomiegebäude 1904, Deckblatt (ASO, A.4.3.6).

4 *Cfr* Alfred KLEIN (1923), p. 38; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 23 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 293.

lis, in quibus pecudes iuniores libere currere potuerunt, et sic porro.⁵

Kalendis Februariis a. 1905ⁱ pecudes e variis stabulis veteribus in nova oeconomiae aedificia translatae sunt. Die 2^o m. Febr. a. 1905^o Abbas Norbertus aedificia benedixit.⁶ Inter mensem Iunium atque Septembrem a. 1909ⁱ



Dispositio loci aedificiorumque, quae erat post annum 1909^{um}.

praeterea denique novum receptaculum curruum exstructum est, in quo vehicula rustica atque instrumenta reposita erant.⁷

Tamen gaudium de novis oeconomiae aedificiis non nimis diu valebat. Nam die 29^o m. Oct. a. 1909^o in oeconomia vehementis incendium exortum est.⁸

5 Cfr descriptio in Chron. Ottil., m. Febr. a. 1905.

6 Cfr Chron. Ottil., m. Febr. a. 1905; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 24 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 293. - Oeconomiae aedificia tutelae Sancti Vandalini commissa sunt.

7 Cfr Ann. Ottil., 18.6.1909, p. 85; Sept. 1909, p. 88 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 24 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 294.

8 Cfr Ann. Ottil., 29.10.1909, p. 90 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Oct. a. 1909; «Jahresbericht der Benediktinermission von St. Ottilien 1910», In: Mbl 15, 1910/11, p. 138; breviter rem etiam commemorat Alfred KLEIN (1923), p. 39. Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 29 (ASO, A.14.0) de ipso incendio nihil dicit, tantummodo de inceptis aedificia restituendis. - Maria HILDEBRANDT (2008), p. 294 aliter ac fontes contemporanei scribit incendium die 25^o m. Oct. a. 1909^o exortum esse. - Incendium fusius describitur in relatione, quae est «Großes Brandunglück in St. Ottilien». In: Mbl 14, 1909/10, pp. 44 sq.

Duae tertiae partes aedificiorum eōdem deleta sunt, quamquam siphonarii celeriter advēnerant, atque stabulum pecudum fastigio proruente detrimentum cepit. Aedificium coniunctorium, quo stabulum suillum continebatur, servari potuit similiter ac totae pecudes. Cum pecudes tecto suo privatae essent, agricolae vicorum circumiacentium animalia ad tempus receperunt. Postquam locus incendii est purgatus, statim labores aedificiorum oeconomiae restaurandorum suscipiebantur.⁹

Praeter rem pecuariam atque culturam pasuorum iam illo tempore magni momenti pars oeconomiae Ottiliensis erat cultura gallinarum.¹⁰ Itaque mense Iunio a. 1909ⁱ - igitur ante calamitatem incendii - illa pars magis extendi coepta est, cum alterum stabulum gallinaceum erigeretur, quod incubationi artificiali atque pullis alendis destinatum erat.¹¹ Iam mense Martio a. 1912ⁱ



Stabulum gallinarum.

cavaedium gallinaceum novo stabulo atque domunculis coloniarum sic dictis

9 Cfr Ann. Ottil., m. Nov. a. 1909, p. 92 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Nov. a. 1909; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 29 (ASO, A.14.0); «Jahresbericht 1910». In: Mbl 15, 1910/11, p. 138; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 294.

10 De momento atque progressū Ottilianae culturae gallinarum illius temporis cfr Alfred KLEIN (1923), pp. 68 sq.; Basilius KONRAD (1929), pp. 31 sq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 301 sq.

11 Cfr Ann. Ottil., 18.6.1909, p. 85 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Iun. a. 1909; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 29 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 301.

amplificatum est,¹² quibus totum cavaedium gallinaceum in partes minores dividebatur. Anno 1922° deinde centralis domus pullorum alendorum aedificata est, quod anno 1927° maiorabatur.¹³ Anno 1928° in parte septentrionali opificinae lignariae, depositorii lignorum domūsque lavandariis destinatae¹⁴ insuper aliud magnum cavaedium gallinarum institutum est, quod extendebatur in magnitudinem circiter 20.500 metrorum quadratorum.¹⁵ Tota haec area in duodeviginti partes minores, quae singulae quinquagenis gallinis locum praeberunt, divisa erat, ita ut animalibus satis spatii ad movendum esset. Ut mensibus aestivis animalia umbrā protegerentur, circiter ducentae arbores pomiferae ponebantur. Totis autem institutionibus apparuit Benedictinos iam illo tempore «industrialem productionem ovorum» renuntiavisse et culturam gallinarum interea nonnullis in operibus mercatoriis iterum modernam animaliaque respicientem exercuisse.

Interim vero aedificiis oeconomiae magno incendio denuo damnum illatum est.¹⁶ Nam die 18° m. Sept. a. 1919° bene mane incendium in stabulis atque cellis penariis exortum est - mirum in modum paene exacte decem annis post primum incendium. Quamquam siphonarii monasteriales atque siphonarii vicorum vicinorum celeriter adfuissent, damnum verisimiliter eo maius erat quam incendio priore. Praeter aedificia detrimento affecta, cum iuxta alia lacunar stabuli vaccharum partim corruisset, imprimis aegre ferenda erat iactura faeni pabulique, quod incendio maximā ex parte deletum erat. Ipsa autem animalia incolumes servari potuerunt. Tamen insuper multae machinae

12 *Cfr* Ann. Ottil., 18.3.1912, p. 126 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 36 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 301.

13 *Cfr* Chron. Ottil., quadragesima usque Pascha a. 1922 (chronista hanc domum appellavit «paradisum gallinarum»); Basilius KONRAD (1929), pp. 20/21; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 2, p. 13 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 301 sq.

14 Domus lavandariis destinata anno 1908° aedificata et anno 1922° amplificata erat. - *Cfr* Ann. Ottil., 10./11.1907, p. 64; 23.9.1908, p.76 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 27 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 321 f.

15 De hac re *cfr* Chron. Ottil., m. Ian.-m. Apr. a. 1928; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 2, p. 13 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 302.

16 Huius incendii descriptio satis fusa invenitur in Chron. Ottil., m. Sept. a. 1919 et in symbola, quae est Paulus SAUTER: Das Brandunglück in St. Ottilien am 18. September. In: Mbl 24, 1919/20, pp. 30 sq. - Breviter rem etiam commemorat Maria HILDEBRANDT (2008), p. 294.


instrumentaque rustica funditus interierunt.

Quamquam damna aedificiorum assecuratione partim erant tuta, nihilominus in aedificiis restituendis problemata quaedam exstabant, cum ubique materiae deessent, quae solum difficulter acquiri potuerunt. Tamen contigit, ut usque ad mensem Octobrem a. 1919ⁱ suggrundium iterum erigeretur. In



Novum suggrundium post incendium exstructum.


initio mensis Februarii a. 1920ⁱ deinde delineationes ad aedificia oeconomiae restituenda officialiter traditae sunt,¹⁷ quae consilia etiam satis celeriter ad



Delineatio novi aedificii oeconomiae anni 1920ⁱ.

17 Scitū dignum est in paginā primā descriptionum expressis verbis adnotata esse haec: «Porta ferrea bene muro applicanda est, ne incendio fortasse exoriundo ignis transsilire possit.» (ASO, Bauarchiv 1.1.4.1.0.1x). [Textus originaliter Theodiscus]. - Paries intergerivus atque porta ferrea in ichnographiā scilicet specialiter assignabantur.

effectum adduci potuerunt. Hac in re Ottiliani structuram prioris aedificii generaliter sequentes speciatim respexerunt rationes incendii prohibendi observari.



Sciagraphia novi aedificii oeconomiae anni 1920ⁱ.

Quia messes frumentorum annis prioribus optimum effectum habuerant, Ottiliani horreum speciatim frumentis destinatum aedificare statuerunt, cum locus in granariis atque superioribus areis operandi non iam sufficeret. Haec constructio aestate anni 1921ⁱ confecta est atque in oriente receptaculi curruum posita est.¹⁸

Ipsam receptaculum curruum aestate anni 1925ⁱ maiorabatur.¹⁹ Aedificium in directionem septentrionalem atque orientalem amplificatum est, ut ad varios scopos plus spatii acquireretur. Primo cellarium pomorum terrestrium vere spatiosum est effossum,²⁰ quod hunc in modum dispositum erat, ut autumnus post messem poma terrestria inde e viā per tubos in cellarium infundi et, cum eadem indigerentur, in cavaedium oeconomiae exportari possent. Supra illud cellarium exstructus est oecus machinarum, qui tectum

18 Cfr Chron. Ottil., medio m. Iunio ad finem m. Iul. a. 1921. - Breviter rem etiam commemorant Alfred KLEIN (1923), p. 52; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 294.

19 Cfr Chron. Ottil., m. Mai./Iun. a. 1925; breviter rem commemorant Alfred KLEIN (1923), p. 52; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 294.

20 Secundum Chronica Ottil., m. Mai./Iun. a. 1925 cellarium habuit capacitatis amplitudinem 1200 metrorum cubicorum.



Locus cavaedii oeconomiae, ubi poma terrestria exportabantur.

commune cum receptaculo curruum accepit. In parte meridionali huius aedificii habitationes famulorum tironumque instructae sunt. Hōc aedificium ad stabulum vaccharum adiunctum est, ita ut ex forma soleae ferreae compo-



Dispositio loci aedificiorumque, quae erat post annum 1925^{um}.

sitio aedificiorum cum caevadio clauso exorta esset, cui tantummodo in angulo meridionali-orientali accessus maior erat.²¹ Haec generalis dispositio aedificiorum oeconomiae deinde circiter triginta quinque annos permansit.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 238, 2024, pp. 511-518]

21 Praeter hunc accessum principalem scilicet plures aditūs directi ad aedificiorum tabulata superiora exstabant, in quibus faenum pabulumque animalium asservabantur.